26092 ex. 22

DE

FEBRIS INTERMITTENTIS CAUSA PROXIMA ET CURA

ADDITO FEBRIS INTERMITTENTIS QUARTANAE SPECIMINE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ISIDORUS JACOBI

BROMBERGENSIS.

OPPONENTIBUS:

S. WOLFSOHN, med. et chir. Dr.

H. SILBERMANN, med. et chir. Dr.

H. BERLINER, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0163

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

J. C. F. OLLENROTH,

REGI A CONSILIIS INTIMIS MEDICIS ET RERUM MEDICARUM ADMINISTRANDARUM, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN CLASSE TERTIA, DE CRUCE FERREA EQUITI ETC.

PRAEPOSITO SUMMOPERE VENERANDO

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFAMEN.

Scripsi, non quo literas medicas studiis meis et experimentis augerem, hoc opusculum, sed quod mos est dissertationem exhibendi ad doctoris in medicina gradum rite capessendum. Quamnam igitur ex vastissimo nostrae doctrinae campo materiem eligerem, diu haesitavi, praesertim quum et a doctissimis viris ars medica ex omnibus fere partibus pertentata esset atque illustrata, et ego tiro rerum medicarum nihil novi edicere possem. Tandem de febri intermittente aliquid scribendi consilium cepi, quod, dum praelectionibus clinicis interfui, saepenumero mihi fuit occasio hoc morbo laborantes videndi morbique decursum persequendi. Contigit etiam, ut ducibus ill. Romberg et ill. Truestedt, quibus semper maximas agam gratias, nonnulli casus febris intermittentis, imprimis quartanae, mihi ipsi accuratius inspiciendi et tractandi traderentur. Quod mihi tironi, qui paulum modo in arte medica versabar, novum accidit, idem non tibi erit aliquid novi. Itaque a te, lector benevole, peto, ut mihi meisque erroribus indulgeas.

Jam ab antiquissimis temporibus viri docti de causa proxima et indole febris intermittentis inter se convenire non poterant et nunc etiam diversorum sententiae diversae sunt. Jam igitur Baglivius merito de hoc morbo statuit: „phaenomena si spectes, reliquis morbis est notior, si constitutionem et causas, omnium est ignotissimus (1).“ Etiamsi physiologia atque anatomia pathologica diligentius tractata superioris temporis errores sint refutati atque exstincti; etiamsi illis doctrinis Galeni multorumque virorum doctorum saeculi sane praeteriti sententiae, proximam febris intermittentis causam in humorum putrescentia (Galenus quotidianam a pituita, tertianam a bile, quartanam ab atra bile derivandam esse affirmat) esse insitam, sint sublatae atque rejectae: tamen profitendum est, licet viri doctissimi aetatis recentioris permultas theorias proposuerint, prorsus fere nihil in dignoscenda intermittentium causa proxima profectum esse. Sane symptomatum complexu, therapia et necroscopiis satis certo, ubi sit morbi fons, suspicari potes, sed non omnia phaenomena, quae offeruntur, iis explicare licet. Quo factum est, ut postquam successores et asseclae

(1) Praxis medicae vol. 1. Cap. XIII.

Galeni, humoralistae qui dicuntur, qui usque ad dimidium octavum decimum saeculum locum tenebant, oblivioni dati sunt, multi quidem exsisterent, qui alias infirmas et caducas opiniones edicerent. Itaque liceat mihi, quaeso, virorum nonnullorum, qui inter scriptores de re medica non infimum obtinent locum, proferre opiniones.

Torti (1) febrem intermittentem mitis indolis in glandulis conglobatis et vasis lymphaticis, comitatas in organis affectis sedem habere contendit. Quam quidem sententiam non diu amplexi sunt viri docti. Majoris videbatur sententia illorum, qui causam proximam ponebant in sanguine, i. e. in inflammatione. Materiam febrilem in sanguine adesse putarunt, quae paroxysmis singulis secernatur. Febrem intermittentem febribus, quas dicunt essentiales, adnumerantes, harum certum genus addiderunt, quippe qui vasorum irritabilitatem, quae multis febribus propria est, caput rei aestimarent, ceteraque phaenomena omnia aut nihili haberent, aut haud magni certe momenti esse censerent. Haec fere Reil: (2) „Proxima febris intermittentis causa in nimia vasorum irritabilitate posita est. Haecnum systemate nervorum exorta sit, an causae externae nervis perturbationem illam et irritationem vasorum efficiant et quomodo id efficiant, hoc plane nobis est ignotum.“ Sydenham (3) intermittentem sanguinis despumationem habet a materia quadam prava atque morbosa, quae quidem primis paroxysmis haud plane secernitur, partim vero restat, paullatim auge-

(1) Therapeutice specialis. Lib. III. Cap. II.

(2) Ueber die Erkenntniss und Kur der Fieber. T. II. §. 44.

(3) Op. Med. Tom. I. Sect. Cap. V. §. 46.

tur et novos insultus parit, quoad normalis sanguinis status sit restitutus. Marcus (1) in inflammatione systematis lymphatici ponit causam; Walch inflammationem glandularum abdominalium opinatur causam proximam febris intermittentis. Broussais theoria sua inflammatoria intermittentem nonnisi gastro-enteritidem esse ratus est. Reich idem esse ac peripneumoniam, therapiam igitur utroque morbo eandem esse affirmat. Boisseau (2) denique in Pyrétologie physiologique haecce edicit: „Plusieurs médecins pensent encore, que les fièvres intermittentes ne sont telles, que parce qu'elles résident dans le sytème nerveux. Cette opinion n'explique rien, car il reste à demander, pourquoi et comment les fièvres sont intermittentes etc.“ Tum pergit: „J'ajouterai qu'il n'y a jamais de fièvre intermittente sans symptômes d'irritation prédominante d'une partie quelconque du corps, et que n'y eût-il que celle du coeur, on ne serait pas autorisé à la méconnaître, et à placer vaguement le siége de la maladie dans le système nerveux.“

Si igitur scholae illius asseclae febris intermittentis phaenomena, quae etiam intermittentium therapia sanata sunt, febri, i. e. vasorum irritabilitate deficiente, observaverant, eam intermittentem larvatam appellarunt atque verae, i. e. quae cum inflammatione procedit, opposuerunt.

Sententia illa eximiis auctoribus nitebatur, attamen praeter eam alia valebat theoria virorum praeclarissimorum, qui

---

(1) Entwurf einer speciellen Therapie. Nürnberg 1807.

(2) Pyrétologie physiologique ou traité des fièvres. §. 474. Paris 1823.

hanc theoriam in uno tantum febrium intermittentium genere adhibendam existimabant, haud ignari, intermittentes et sine vasorum reactione exstitisse et alias, indole inflammatoria gaudentes, quae multa alia prae se ferebant symptomata, ex irritabilitate vasorum sola neque explicanda neque deducenda. Qui de proxima morbi causa majori cum assiduitate atque diligentia quaesiverunt, systema nervorum invenerunt sedem, cui sententiae doctissimi viri usque ad recentissimum tempus adhaerebant. Quod paroxysmi sine excretionibus criticis cessant, quod febris intermittens hic illic materiis haud secretis plane exstinguitur, id quod nullo modo fieri poterat, si sanguinis mutationes s. d. materiales proxima essent causa, id sententiam, qua abnormis sanguinis qualitas causa non est, sane comprobat. Praeterea merito theoriae illi opposuerunt, medicamenta paullo ante paroxysmum praebita, hunc partim diminuere, partim omnino differre; acque ac omnia, quae in animum vim quandam habent, saepius impediunt, quominus insultus aegrotum denuo petat. Quod sane contingere non posset sanguine male mixto.

Caput vero rerum periodicitas, quam dicunt, febri intermittenti conjuncta, optimum mihi esse argumentum videtur, causam morbi proximam non in sanguine, sed in systemate nervorum esse quaerendam, nam omnibus atque fere sola morbis nervosis perpetua ac propria est. Item intermissiones perfectae, quibus perdurantibus morbi phaenomena percipimus prope nulla, quod phaenomenon nonnisi in nervorum morbis (Epilepsia, Catalepsia etc.), nunquam in mutatione sanguinis s. d. materiali apparet, ad nervos haud dubie pertinent. Neque aliter certas periodos, quibus paroxysmi redituri sunt,

definire possumus. Et cordis actione sententia probatur, intermittentes affinitate quadam neuralgiis esse coniunctas, nam palpitationes cordis, pulsum irregularem, debilem, intermittentem in utroque morbo invenimus. Denique recentissimis temporibus, opprimendo nervo et ischiadico et crurali, paroxysmum cessasse observatum est, quod, si accuratius indagatur, argumentum haud minoris momenti nostrae sit theoriae.

Verum enim vix sententia, proximam febris intermittentis causam in nervorum systemate esse quaerendam, a Fr. Hoffmann (1) et Boerhaave in lucem prolata et ab aequalibus accepta, multi exstiterunt viri docti, qui dissentirent, quaenam systematis nervorum pars affecta sit. Quot capita, tot sententiae. Alii enim in cerebri nervorum affectione morbi illius causam positam voluerunt, aliis medullam spinalem, aliis abdominis nervos, aliis denique plexum nervorum singulorum organorum intermittentes efficere placuit. Liceat placita auctorum quorundam enumerare, quo facilius dicta vera eluceant. Cullen (2) cerebri debilitatem proximam febris intermittentis causam esse ait, eam quoque omnes ceteras functiones debiles atque infirmas reddere, imprimis vasorum activitatem diminuere. Whytt (3) primarum viarum nervos potissimum affectos putat. Cui van Hoven (4) fere assentitur, materiem febrilem ratus per pulmones in sanguinem quodammodo et in ductum intestinalem injici, tum nervos abdominales attingentem parere febrem.

(1) Dissertatio de vera motuum febrilium indole et sede.

(2) Anfangsgründe der prakt. Arzneiwissenschaft.

(3) Works publ. by his Son. pag. 581.

(4) Versuch über das Wechselfieber. Winterthur.

Burserius (1) causam intermittentium proximam in medulla spinali sitam dicit. Petrus Frank (2) de febri intermittente loquens his utitur verbis: „febrem intermittentem esse morbum nervosum sui generis liquet ex his: quod detractiones sanguinis atque evacuationes institutae aegrotum in pejus detrudunt; ex actione pathematum animi, tam ad provocandas recidivas quam ad fugandum morbum (nempe sympathetica ratione); denique huc referri potest divina vis medicata Chinae, narcoticorum nonnullis in casibus.“ Quae vero, pergit, causa sit proxima huius febris, id plane ignotum est. Lobstein ponit sedem intermittentium in plexibus, splenico et hepatico, qui gangliis suis quam maxime a ceteris nervis disiunguntur. Sachs affectionem gangliorum pectoris et abdominis declarat. Hocce a nostro Hufelandio (3) in Enchiridio doctum est: mea quidem sententia et experientia intermittentis sedes in nervis solum praecordiorum et intercostalium est. Baumgaertner (4) systema nervosum gangliosum abdominis eam refert partem, e qua motus febriles exoriantur. Graf (5) febrem intermittentem simplicem, typis periodicis, quibus redire solet, exceptis, ab aliis febribus discerni prorsus negat. Exsistentia ipsa vero negata, a se causam proximam exspectari non posse orationem continuat. Illustrissimi

---

(1) Institutiones medicae practicae. Tom. I. Lips.

(2) De curandis hominum morb. epitom. II. lib. 1.

(3) Enchiridion medicum §. 87, Berol. 33.

(4) Handbuch der speciellen Krankheits- und Heilungslehre. Th. 1. §. 133.

(5) Casper's Wochenschrift. 1833. p. 904.

Schoenlein (1). de scientia medica summe meriti sententia est, fontem quasi morbi in nervis periphericis esse, plerumque in his partibus, quae cum systemate vasorum arctissime cohaereant. Quam quidem sententiam secutus distinguit intermittentes systematis ganglii nervosi, si quidem in gangliorum ramificationibus inest morbus, ab intermittenti cerebrali, si e finibus periphericis nervorum et cerebralium et spinalium profecta est. Kremers (2) omnia phaenomena a medulla laesa spinali deducit; itaque dolorem in vertebris dorsalibus eius morbi symptoma maioris momenti aestimandum esse affirmat. Quod quidem symptoma Kremersii opinione paroxysmum esse rediturum indicat.

Haec sufficiant ad virorum doctissimorum, de litteris magnopere meritorum, dissensionem atque discrepantiam de febris intermittentis proxima causa proferendam.

Mihi in arte medica adhuc tironi ignaro, nec literis nec experientia satis praedito, integre ac subtiliter ea de re judicare nullo modo licere, jam per se intelligitur. Lector autem benevolus aegre ferre nolit, si ex morbis, quos cum ipse tractavi, tum a praeceptoribus summe venerandis viris illustrissimis Schoenlein, Romberg. Wolff, Truestedt, Wagner curatos sanatosque vidi, si ex his inquam morbis modeste ac procul ab arrogantia concludere audeam. Symptomata, quae in promptu erant, brevi me adduxerunt, ut crederem, propriam febris intermittentis causam in systemate nervorum esse locandam; quaenam vero pars affecta sit, nec

(1) Pathologie und Therapie. T. IV. p. 3—4.

(2) Beobachtungen über das Wechselfieber. Aachen 1836.

symptomatibus, nec therapia adhibita, nec necroscopiis satis edoctus sum. Id, quod in febri intermittente plerumque abdominis organa inveni correpta, aut immodice indurata aut emollita, quod affectiones gastricae exortae incommoda quaedam insignia pepererunt, nec minus alia symptomata me concludere fecerunt, systema gangliorum abdominalium praecipue esse affectum.

Sin autem ad virorum doctissimorum dissensionem, de qua jam antea diximus, cuinam systematis nervorum parti morbus insit, respexerimus, forsitan ea electricitatis vi nervis insita explicari potest, unde fit, ut affectio nervorum in alios nervos homogeneos nec non heterogeneos (ut ita dicam) perducatur et alia quaedam phaenomena provocet. Nervi facialis, ut exemplum afferam, affectio primum alterumve trigemini ramum corripit; nonnumquam signis plexus coeliaci affecti, plexus hepatici aut renalis affectiones accedunt. Simili modo gangliis perturbatione liberatis, nervi cerebrales et spinales vexantur atque ex contrario. Ita e. g. affectio, quae proprie trigeminum corripuit, in n. vagum transire potest, atque intermittentem gignit, quae impeditae respirationis signa (anxietatem, respirationem acceleratam, tussim etc.) secum fert; tum quidem per ramificationes n. vagi abdominis nervis et systema gangliorum facillime affici possunt, seriesque symptomatum insequitur, quae prorsus alia sunt ac antea allata.

Verum haec satis de causa febris intermittentis proxima.

Etiamsi in animo mihi non esset, de symptomatibus aliquid addere, tamen necesse mihi videtur, et ut sententiam latam, quam possum, defendam, et therapiae causa, quae phaenomena paucis allata secutura est.

Vix igitur febri intermittenti laborantem invenies, qui non iam ante paroxysmum primum incommoda quaedam persenserit. Haud raro prodromis introducitur quasi morbus aegrotis de oscitatione, pandiculatione, lassitudine, capitis gravitate, artuum dolore, nulla ciborum appetentia, de odioso et molesto quodam sensu in scrobiculo cordis, aliis conquerentibus. Tum quidem paroxysmus succedit stadio frigoris incipiente. Cutis rubore ac turgore solito caret, facies pallescit, labia et extremitates livescunt, manus malaeque frigidiusculae sunt, corporis volumen calorque imminuitur, cutis omnino contrahitur, tumores et exanthemata evanescunt neque redeunt, nisi in stadio caloris, ulceribus, si adsunt, secretum hoc tempore non est, nasus atque ungues frigescunt et coerulei sunt. Sennac (1) aegroti, cuius nasus totus coeruleus factus est, mentionem facit. Quo facto frigus, praestantissimum fere symptoma huius stadii, a dorso, ut aegroti solito affirmant, exortum totum corpus quam celerrime arripit. Saepenumero in horripilationem transit, quae quidem a maxillis incipiens tam fieri potest valida, ut crepitatione et conquassatione dentes excidant. Respiratio est difficillima, brevis et accelerata, pulsus parvus, debilis, frequens, remittens; urina pallida ut in spasmis, enaeoremate sedimentoque carens. Quod frigoris stadium quadrantem horae, dimidiam, hic illic complures horas persistit.

Omnia fere, quae narravi symptomata et prodromorum et stadii primi ipsius, ad perversam nervorum actionem pertinere, quis est, qui nesciat? Oscitationem, quam morbo inituro

(1) Lib. IV. cap. XIII.

iam percipimus, certum habet ill. Joann. Mueller (1) argumentum lassitudinis, imprimis systema nervorum nimis irritatum esse ac debilitatum. Sic paroxysmi incipientis signa, imprimis pallor, frigus, ex minuta nervorum vi in vasa sanguifera declaranda sunt.

Boerhaave (2) his verbis utitur de stadio frigoris locutus: „Incidens cadavera mortuorum in primo hoc stadio febris intermittentis, post anhelitus, suspiria, ignaviam, inveni sanguinem crassum, impactum pulmonibus, semper tum fuerant pulsus parvi, frequentes, inordinati.“

Hoc stadium excipit alterum. Brevi tempore horror magis magisque remittit calorique cedit. Sanguis e centro in peripheriam paullatim redit. Pulsus satis magnus, plenus, etiam durus et frequens fit; cutis rubore, calore, tamen non humore gaudet; summa lingua non pura, arida est; aegri siti magna laborant; respiratio fortior, satis libera et paullulum altior, anxietate minori; urina plerumque rubra, nebula tamen non praedita. Aegroti dolore capitis vehementi, vertigine tentantur, sensibilitas aucta est, aurium susurrus, fulgores quasi ante oculos hic illic adsunt, ut congestio ad cerebrum negari non possit.

Qui tamen calor siccus per horas III — IV. restat, mox sudori subsequenti coniungitur. Atque hoc dicimus stadium tertium s. criseos, quo intrante remissio omnium symptomatum percipitur et paroxysmo finis imponitur. Cutis non amplius conclusa videtur, antea sicca aridaque mollis fit et humida;

(1) Handbuch der Physiologie. T. I. pag. 336.

(2) De cognoscend. et curand. morbis Aphorismi §. 216.

ille calor mordax in iucundum mutatur teporem; pulsus modice plenus, magnus ac modice frequens tangitur; respirationi impedimentum nullum, lingua omnino non sicca; sitis stadio priori fere insatiabilis plane deest; urina denique largior, crocea, sedimento, quod appellamus lateritium, abundat. Sudori nimio fine imposito paroxysmum in aliquod tempus remotum habere possumus.

Paroxysmum vero sequitur Apyrexia. Saepenumero aegroti in somnum incidunt et sane recreati expergiscuntur. Omnia symptomata morbosa effugerunt, aegri ciborum desiderio, interdum fame insolita urgentur et morbum, quo horis nonnullis ante vehementer laborabant, vix opinantur. Accidit vero etiam, ut paroxysmo defatigati, inertia, lassitudine laborent aliisque incommodis, haud raro gastricis. Haec quidem apyrexiae conditio medico sapienti quam maxime cordi esse debet, nam et idonea, paroxysmo iterando, et impedimento est, quominus remedia febrifuga adhibeantur, morbus igitur radicitus deleatur.

Priusquam ad artem febribus intermittentibus medendi me vertem, uno quidem verbo symptomatum graviorum in perniciosis s. d. memor sim oportet. Stadia enim frigoris et sudoris justo ita validiora possunt esse, ut in altero rigor et horripilationes vitae periculo sint, in altero, sudore permagno viribus aegroti exhaustis, nimia debilitas vitam in periculum deducat. Hae enim febres algidae et diaphoreticae dicuntur. De quibus me non accuratius scripturum jam supra dixi, sed Tortii (1) sententiam, qua notio harum dilucida fiat, afferam.

---

(1) L. c. p. 279.

„Febris algidae paroxysmi incipiunt a frigore quodam mortifero, quod non, ut assolet, paullatim evanescit, calori locum cedens, sed protrahitur, maximamque partem invasionis occupat, ita ut nec pulsus resurgat, nec calor ad tactum conspicuus erumpat; quam ob rem post horas et horas aegrotantem adhuc in principio accessionis diceres. Siticulosus simul est, gemebundus, anxius, cadaverosus; invalescit tandem tantillum, levi vapore madens, atque solutus tali modo accessus in speciem intermissionis imperfectae transit, quam secunda varia periodo rediens ac plerumque lethalis excipit invasio.“

Prima parte eorum, de quibus locuturus eram, absoluta, ad alteram, i. e. Therapiam describendam et quam possum indagandam transeam. Hic indicatio prophylactica nobis prima occurrit, quae id agit, ut homines tueatur, ne in morbum incidant. Sed hoc tantum vitae ratione, rebus noxiis remota, fieri potest. Erant medici, qui tempore, quo intermittentes epidemiae grassatae sunt, medicamenta morbo infesta sumenda curavere, potissimum Chinam ordinantes. Quidnam vero china in homine, bona valetudine gaudente efficiat? Num quid ea repellendum sit, cuius exsistentia deest? In victu ciboque sumendo, id quod semper fieri oportebat, certam rationem homines sequantur, cubicula omnino dormitoria madentia, aërem tenebrosum, humidum vitent necesse est.

Haec de indicatione prophylactica; de aliis antequam verba faciamus, addere licitum sit, iustum et idoneum remedia adhibendi tempus illud esse, quod apyrexiam diximus; tum quidem cura non rudi atque empirica ratione instituatur, sed certis legibus, e causis morbi pendentibus. Videndum est igitur, num febris sine complicatione, num talis sit intermit-

tens, qualem medici depuratoriam nominaverint, denique num paroxysmus instans vitae periculum afferat, necne.

Quum enim, complicatione deficiente, febri indoles depuratoria desit, aut paroxysmus, si intrare minatur, periculo esse possit, statim cura febrifugis instituenda est. Aliter plerumque res sese habet, molestiis aliis praesentibus, quae prius sunt removendae, quam remedia contra febrem ipsam adhibeamus. Omnium complicationum frequentissima sine dubio affectio est gastrica, quae omnino febri intermittenti aut antecedit, aut comitatur. Quam affectionem esse praesentem, e colore cutis subflavo, lingua obtecta, capitis gravitate, vomituritionibus, aliisque perfacile intelligimus. Si quidem symptomatibus confirmatum est, affectionem exstare gastricam, tum bene distingendum, num revera sordes adsint gastricae, an actio tantum perversa organorum digestionis, sive in laxitate ventriculi intestinorumque, sive in abnormi bilis secretione sita. Sordes gastricas aut emeticis aut purgantibus repelli opus est, atque natura ipsa optima est indicatrix, utro remedio utamur. Fuerunt medici, qui virtutem emeticorum iusto plus laudavere, quae numquam non, sive indicatio causalis adsit sive desit, crediderunt adhibenda; alii purgantium, alii resolventium vim medicatricem summa laude extulerunt. Non dubitandum est, quin haec remedia, ut iam supra diximus, locum nonnumquam teneant, at cum grano salis sunt ordinanda. Tantum enim abest, ut emetica utilitatem afferant, ut noxia esse possint intermittenti laborantibus, ideo quod phaenomena febrilia augent. Lingua quum obtecta maneat alvi excretionibus normalibus, etiamsi apyrexia adsit, aut quum affectio gastrica in paroxysmo dominetur, et in apyrexia sive

deficiat, sive admodum diminuatur: tum usus emeticorum aut purgantium nominari potest abusus, qui saluti maxime est alienus.

Altera complicatio, quae febrem intermittentem comitari solet, est inflammatoria. Et hoc in casu prius inflammatio tollenda est, quam febrifugis ipsis utamur. Intestina, veluti hepar, lien, quum inflammatione correpta sint, methodo antiphlogistica tractanda esse putamus. Hirudinum applicatio, unguentum hydrargyri cinereum, cataplasmata, interne vero purgantia blanda et mite refrigerantia, q. s. salia neutra et media nitrosis permixta, imprimis ratio vivendi diaetetica merito principatum tenent. Verum etiam in cura antiphlogistica administranda, satis prudenter et considerate agere medici est.

Saepenumero difficillimum est illud temporis momentum perspectu, quo antiphlogosis suscipienda et quo finienda sit. Atque nil in febribus intermittentibus perniciosis maioris est ponderis, quam opportuno tempore iis remediis uti, quae opus sunt. Saepe paroxysmus iterum instans vitae aegroti valde periculosus, ergo avertendus est, omissis et in statu inflammatorio remediis, quae in inflammationem vim habent; haud raro contra methodus antiphlogistica neglecta aegro medicoque damno esse potest. Eundem morbum in diversis hominibus dignoscere et quavis natura indoleque tractare, medici est eruditi atque experientis.

Missis iam complicationibus, et quae a nobis allatae et quae relictae sunt, quaecunque febrem intermittentem comitantur et primas therapiae indicationes suscipiendas suadent, sexcenta medicamenta in hunc morbum cum successu adhibita accuratius examinemus. Non mirum est, si tot medicamina,

quot sententiae virorum sapientissimorum exstant, nam sua quisque ratione artem medendi instituit. Quumque intermittente laborantes haud difficile sit curare, mirandum non est, quod omnes illi viri specificis sic dictis summo cum eventu utebantur. Medicamenta huc spectant psychica et, sit venia verbo, somatica, quae aut ad sanguinem restituendum, aut ad irritationem systematis nervorum imminuendam sane sunt idonea hominibus sanandis. Merito Reil bonum laudat remedium, si horologium tardius moveatur, ut aegroti tempus paroxysmi iam praeteritum credant, nec iniuria ab Autenriethio virtutes assularum (Sägespäne) praedicantur. Quum vero in febribus intermittentibus malignis s. perniciosis aliter res se habeat, ubi in medicamento summum bonum ponendum est, singula diligentius contemplemur.

Praestantissimum quasi remedium omnibus temporibus ab omnibus viris doctis laudatum china est, quae magnam vim in sanguinem incitandum exercet, unde fit, ut sanguis quasi antagonista nervis opponatur et eorum affectionem supprimat. Sed in virtutibus corticis definiendis sapientissimi viri omnino dissentiunt. Van Swieten (1) eius vim roborandi systematis nervosi defendit, cui Selle (2) assentitur. Vogt (3) corticem chinae praecipue in nervos splanchnicos et medullam spinalem vim exercere contendit. Kremser exemplum affert, quo satis patet chinae virtus in medulla spinali. „Aegrotum narrat una dosi grana quinquaginta sumsisse. Vix quum sum-

(1) Commentar. in Boerhaave Aphorism. Tom. II. §. 757.

(2) Rudiment. pyretologiae methodicae pag. 338.

(3) Pharmakodynamik T. I. pag. 140.

serat, totius corporis aestus, sudor pectoris, faciei rubor, convulsiones totius corporis et pulsus frequens eum occupaverunt, atque motus spastici restabant, quamvis alia praeteriissent symptomata.“ Adhuc adnotandum est, corticem chinae regium alcaloidum causa, chinini et cinchonini, quae in regio praeter alias continentur et vim efficacissimam exercent, esse commendandum. Praeterea substantia ordinanda est, nam decoctum, infusum, extractum minori gaudent vi et successu. De quantitate, qua detur, Reil (1) haecce pronunciat: doses magnae in intervallis minoribus dentur necesse est. In febri intermittenti quartana minime unciam et dimidiam in apyrexia sumendam esse dicit. Consueta dosis, qua praebeatur, drachmae dimidiae ter quaterve per apyrexiam e. g.

Rcp. Cort. Chinae reg. ö ℥β
- - Cinnamoni ℈jj
Sacch. albi ℈jv

M. f. pulv., divide in part. aeq. No. VIII. S. bihor. pulv. 1 sum.

Licet paroxysmus hac dosi ordinata non redeat, tamen pergamus corticem sumi jubere, ne aegroti, quod saepissime fit, de integro in morbum recidant. Accidit vero, ut illud remedium motum peristalticum augeat, alvum igitur nimis cieat; tum cum opio prospere coniungi potest, e. g. Berend ordinavit:

Rcp. Cort. chinae regii ℥vj
Elaeos. flor. cort. aurantior. ℥jjj
Tr. Opii crocatae gtt. xxjv

M. f. pulvis I divide in part. aequales No. XII. S. Omni hora pulvis I sumatur.

(1) L. c. §. 50. pag. 171.

Aliorum hominum proprium est, ut china alvum obstipet. Tum ei salia media, tart. depurat., tart. boraxat., sive etiam rheum adjicias. Alia cum efficiat incommoda, aliis iuvantibus et corrigentibus utendum est.

Recentiore tempore progressibus in rebus chemicis et pathologicis ingentibus factis alcaloides, quae in cortice continentur, antepositae sunt. Vis iis inest efficacior, eoque excellunt, quod doses maiores sine molestiis, quum vitae periculum adsit, ordinari possunt, quo paroxysmum diligentius atque accuratius effugiamus. Stomachum haud ita onerant, pulmonum affectio usum chinini non aeque vetat ac chinam ipsam, atque infantes ipsi has parvas doses nullo labore sumunt. In alcaloidibus omnino ordinandis diversae exstant sententiae. Alii medici dosin magnam drachmae dimidiae vel unius, alii parvam granorum nonnullorum laudant. Solito gr. jj—jjj bihorio, ut in apyrexia ℈j—℈ß praescribas. Hillmer hanc commendat formulam specificam:

Rcp. Chinini sulphurici gr. xjj—gr. xvjjj
Tart. stibiati gr. j—jß
Pulv. aromatici
Sacch. albi $\overset{\frown}{aa}$ ℈j—℈jß

M. f. pulv., divide in part. aeq. VI. DS. Quater per diem pulv. I sumatur c. infuso rad. calami.

In febribus pertinacibus, imprimis quartanis duce illustr. Romberg equidem cum chinini sulphurici granis nonnullis parvam dosin rad. belladonnae summo cum successu coniunxi. De qua re iam locuturus sum.

Kuchlbrand (1), quum aegroti illo sensu oppressionis

(1) Casper's Wochenschrift 1835 No. 30. S. 474.

in scrobiculo cordis non ex gastrica, sed ex nervosa origine molestentur, mirabili adhibuit cum eventu hancce formulam:

Rcp. Chinini muriatici gr. j
Bismuth. nitric. gr. jj
Sacch. alb. gr. x

M. f. pulv. dentur tal. doses No. XII. S. Omni bihorio pulvis I sumatur.

Denique et externe corticem peruvianum medici usurparunt, quum, sive ventriculi sensibilitate nimia, sive aliis indigestionibus per os sumi non posset. Singularem casum Pupke (1) usus externi chinini sulphurici refert: lactantem scilicet emetico praebito sanasse matri chinino ordinato.

Similem vim ac china, sed gradu minori remedia reliqua tonico-aromatica, in febres intermittentes proposita, exercent. Boerhaave, van Hoven, Fr. Hoffmann commendant flor. chamomill. bihorio ʒj, quibus elix. acid. mynsich. sudore nimio praesente addiderunt; rad. calami aromat. ℈j—℈jj, rad. caryophyllat. dos. VI ex ʒjjj per apyrexiam, cort. angusturae (decoct. ex ʒvj) Meyer et Brand; rad. colombo (decoct. s. pulv.), hb. centaur. minor., card. benedict., trifol. fibrin., gentiana et quae sunt reliqua.

Henry et Laventon salicin. et gentianin. summis efferebant laudibus.

Tum quidem remedia tonico-adstringentia prospere adhibita sunt. Multum tamen a vi corticis peruviani ipsius absunt. Huc pertinet potissimum ferrum ejusque praeparata, a Zolikofero, qui ferri borussici gr. jj—jjj ter s. quater per

(1) Medizinische Vereinszeitung 1835 No. 50.

apyrexiam sumi jubebat, praedicata. Wutzer ad scrupulum usque p. d. ordinavit. Reil (1) ferri vim in febr. quartanas nec minus cum complicationibus chloroticis aut hydropicis impendi vult; Grainger (2) optimum ferrum esse remedium in morbos splenicos contendit.

Ill. Stosch ferrum hydrocyanicum Chinae ipsi praefert hac quidem formula:

Rcp. Ferri hydrocyanici gr. vjj
Chinini sulphurici gr. vjjj
Rad. Rhei gr. v
Elaeosacch. Calami ℈β

Mf. pulv. dent. tal. dos. No. VIII. D. ad chart. ceratam S. Ternis s. quaternis horis pulvis I sumatur. — Cupri sulphur., zinci sulphur., aluminis, insuper cort. ulmi, fraxini, quercus, rad. tormentill. aliorumque vis praedicabatur, quam si Chinae virtutem compensare possent.

Opium iam antiquissimis temporibus in febrem intermittentem medicamentum magnae virtutis celebratum est. Fordyce (3) febrem quartanam bienniam pulvere Doveri, cum Diaphoretico coniuncto, quem paullo ante paroxysmum spectatum sumi curabat, paucis diebus sanari dicit. Alii medici etiam in intermittentibus, quibus inest indoles soporis, comae, opium ordinari posse putant. In his vero caveamus oportet, ne vim exerceat contrariam. Inter omnes constat, conditionem soporis haud raro congestionibus s. exsudato sanguineo in

(1) L. c. §. 14. S. 181.

(2) L. c. 99.

(3) Murrey's Bibliothek 3. 4. sect. 3. p. 408.

cerebro effici; qua re opio apoplexia sanguinea facillime excitari potest.

Permulta quidem medicamina s. d. vegetabilia, ut sunt: ol. animale Dippelii, rad. arnicae, serpentaria virginea, sal ammoniaci, alia, a diversis medicis celebrata sunt. Omnino autem minoris momenti, quam cort. chinae alcaloidesque, tantum casibus levioribus locum tenent.

Progrediamur igitur ad illud summum febrifugum, Arsenicum. Jam diu iis, qui in arte medica studium atque operam collocarunt, hoc remedium cognitum erat, recentiori quidem aetate in memoriam revocatum est. Ut fere semper fieri solet, magnum de hoc remedio certamen certatum est. Erant, qui e thesauro materiae medicae plane ejiciendum arbitrarentur (de Haen, Hufeland, Stoerk, Kreyssig, al.,), quod nulla in eo virtus esset, multa vero incommoda. Arsenici usu hydropem, intestinorum degenerationem, ventriculi embroses, mentis alienationem aliaque permulta incommoda se observasse affirmant. Nec vero dubitandum est, quin hi in dijudicandis virtutibus eiusdem medicaminis opinione praesumpta superati sint et in eo vituperando iustum modum excesserint. Altera pars, quibus Fowler, Brera, Heim, alii adnumerari possunt, merito arsenicum, caute et prudenter dummodo adhibeamus, non solum non noxium aegris, sed summae saluti esse contendunt. Immo vero etiam in febribus perniciosis et pertinacibus, ubi permagni interest, patientes febri quam primum liberari, nullo alio medicamento, nec china ipsa nec alcaloidibus expleri potest.

Vogt (1) de Arsenici vi medicatrice haec praedicat:

(1) L. c. T. I. §. 1351 et 1364.

„Vis eius a ramificationibus gangliorum, ab organis pectoris atque abdominis profecta in medullam spinalem transit. Ganglia igitur et medulla spinalis sunt organa centralia, contra quae praecipue agit; non dubitandum est, quin minori dosi quum utamur, excitans, irritans, roborans agat, maiori autem venenum." Tum pergit §. 1364: „Multa quidem verba faciunt, qui arsenico infesti sunt, febre remota damno permagno aegris esse; sed quum annis 1812—1815 saepenumero in nosocomio in summam intermittente laborantium salutem adhibuerim, satis superque vidi, neque hydropem, neque ullam cachexiam, neque suppurationes febrem sanatam esse secutas."

Atque ill. Schoenlein (1), cuius in omnibus rebus medicis est liberius, diligentius, vere ac subtiliter indicare, virtutem arsenico inesse damno maiorem et incommoda, nisi temerario quodam usu effecta sint, facili negotio removeri posse affirmat.

Beato Heim praecipue debemus, quod hoc medicamen in pharmacologiam est restitutum, quod optimum esse refugium in malignis illis speciebus, quae vitam periclitentur, certo constat. Uti possumus arsenico albo, c. kali s. natro composito. Heimii formula haec est:

Rcp. Arsenici albi pulv.
Kali carbon. depur. aa ʒj
coque c. Aq. dest. libr. ½ in balneo arenae ad solutionem Arsenic.
refrigerat. adde
Spirit Angelic. comp. ʒj
Aq. destill. q. s. u. tota subit. constit. libr. j
MDS. In Apyrexia bihorio gtt. 5—10—15 sumantur

(1) L. c. p. 26.

Liquor Antipyreticus Harlessii (1) summam sibi acclamationem comparavit, quare addatur:

Rcp. Arsenici albi ʒβ
Aq. destillat. ℥vj
M. digerendo in balneo arenae ope iusti caloris per horas sex tum adde
Kali carbon. puri ʒβ
antea solut. in
Aquae Cinnamoni simplicis ℥jj

M. digerendo denuo per aliquod horas leni calore S. Ternis quaternis horis gutt. VI. in vehiculo quodam mucilaginoso sumantur.

Alia quaedam medicamina proposita sunt, sed longum est omnium facere mentionem. De cura vero paroxysmis omissis pauca addenda videntur, antequam therapiam absolutam putem.

Immerito enim, quum aegrotus eo die, quo paroxysmum exspectavimus, bene se habeat, curam plane negligeremus. Nam plerumque morbi systematis nervorum redituri sunt, atque febri intermittenti potissimum illa proclivitas ad insultus iterandos peculiaris est, nisi per aliquod tempus in cura therapeutica adhibenda perseveremus. Ad rationem vivendi diaeteticam respiciendum est. Qui paullo ante intermittente laborarunt, ne frigoris iniuria tententur caveant, cibos nutrientes, qui facile digeruntur, paullatim edant. Praecipue pathemata animi vitanda sunt. Quod ad medicamina, cortex chinae in stadio convalescentiae, sed minori dosi (ʒβ—ʒj) porro su-

(1) Horn's neues Journal der ausländ. med. chirurg. Literat. T. VIII. p. 2. 1808.

matur; Schoenleinii sententia, quum febris fuerit quotidiana. per XIV dies, tertiana, certe per hebdomades tres, quartana, sane quatuor per hebdomades cortice utendum est. Etsi in re sic tractanda febris hic illic redibit, tamen recidivae multo rariores erunt.

Jam ad propositum peragendum ut accedam, exemplum intermittentis quartanae ultima vice a me continuo observatae enarrare liceat. De quo, L. B., quum haud immemor sim, quam parum praestare possim, indulgeas quaeso:

Ernestus K., puer octo annos natus, tenerae gracilisque constitutionis, inde ab infantili aetate infirma utebatur valetudine. Dissensionibus ortis patrem inter atque matrem, ita ut haec a marito discederet, puer, qui patrem sequi debebat, jam ab initio illa cura carebat, qua matres lubentissime ac penitus liberis deditae sunt. Refrigeriis saepissime exponebatur, victus, qui ei praebebatur, nec nutriens nec talis erat, qualis aetati tam tenerae aptus est; domicilium nec minus cubile satis humidum erat, aëre quasi infecto, ne lectulo quidem praeditum. Quum nullius curae traditus esset, etiam immunditie laborabat, unde factum est, ut mox in varios morbos infantiles implicaretur, quos morbos apud eum malignioris fuisse indolis patet. Febri intermittenti quotidiana, vermibus (Ascaride, ni fallor, lumbricoide) et exanthematibus quibusdam laboravit, donec matri contingeret, ut filius ei a marito restituendus et educandus redderetur. Hunc ad finem die VI mens. Decembris a. 1844 a schola policlinica medica, quae maxime floret sub illustrissimi, ingeniosissimi Prof. Romberg auspiciis, auxilium petiit. Puerum conquesta est quarto quoque die hora quarta antemeridiana corripi frigore, quod ardor

subsequatur, quem sudor excipiat nimius. Interrogantibus nobis affirmavit, tempore, quo illud accidat, infantem vehementi capitis dolore laborare, qui dolor et in premendis processibus spinosis columnae vertebralis percipiatur; appetitu vero optimo, solito maiori, puerum gaudere, alvi depletiones esse normales, ac bene illum dormire; paroxysmo finito in somnum eum incidere, ex quo quidem capitis gravitate ac lassitudine gravatus expergisceretur. Quum digestionis organa accuratius exploraremus, linguam non obtectam, in abdomine diligentius investigando et sensu et percussione lienem amplificatum ac paullum induratum invenimus. Anamnesi et indagatione dubitare non poteramus, quin febri quartana puer laboraret, et quum nec sordes gastricae nec aliae complicationes maioris momenti adessent, quum iam priori tempore intermittenti quotidiana puer tentatus esset, statim nobis ad febrifugas ipsas transeundum videbatur. Ordinatum est:

Rep. Chinini sulphurici gr. xjj
Flaved. cort. aurant. ʒj
M. f. pulv., divide in part. aeq. No. VI.
S. In apyrexia bihorio pulvis j sumatur.

Postero die, quarto post paroxysmum superatum, insultus novus intravit, cui equidem interfui. Tempore, quod supra dixi, nec anteponente nec postponente typo, febrem accedere vidi; frigus, horripilationibus mixtum per quadrantem horae, calor fere unam, sudor horas sex septemve restitit. Cephalalgia ac debilitate satis magna puer in apyrexia cruciabatur. Febris quum esset quartana, item pertinax, viresque paroxysmo exhaustae apparerent, medicaminibus vi efficaciori parcendum non esse arbitrati, haecce ordinavimus sumenda:

Rcp. ö Chinini sulphurici gr. xjj
ö Rad. Belladonnae gr. j
– Sacch. albi ʒjj

M. f. pulv. divid. in p. aq. No. VI.

D. S. In apyrexia trihorio pulv. j sumatur.

Quibus remediis prospero cum eventu usi sumus; nam paroxysmus febris proximus intermissus est, nihil relinquens, nisi debilitatem minoris momenti. quae quidem mox cessura videbatur appetitu florescente. Quod autem attinet recidivas, iam tum prognosis infausta statuenda erat. Febres quartanae ad reditum potissimum proclives sunt. Illa tamen cura adhibita affectiones praeteriisse videbantur, ne vestigio quidem relicto. Nihilo secius aegroto dec. rad. chinae reg. pro cura roborante, et ratio vivendi diaetetica severa ordinata est. Quatuor per hebdomades ita tractatum puerum declaravi sanatum, hiemem non aeque ac initium veris metuens.

Atqui hic timor, proh dolor! argumentis firmatus est.

Primis scilicet diebus Maji a. 1845 in atrio policlinici medico-chirurgici, quod sub illustrissimo et humanissimo Prof. Truestedt floret, illam feminam filium secum ducentem vidi. Interrogata, quibus ex causis eo venisset, filium exanthemate esse affectum respondit. Ab ill. Directore petii, huius aegroti cura ut mihi committeretur; tum accuratius manus aliosque locos ubi exanthema apparuerat, inspexi et omnia scabiei signa reperi. Ex matre quaesivi, num puer iterum febri laborasset, quod negavit. Tamen scabiem symptoma putavi infaustum, sententiae memor van Hoven (1), qui narrat „ho-

(1) T. 1. §. 136 Strack. Lib. III. c. 2.

mines scabie laborantes facillime febri intermittente corripi, scabiemque redire febri desinente et contrario, febrem redire scabie cessante.“ Mater iterum atque iterum rogavit, ut filium hoc intolerabili malo liberaremus. Puerum, tunc temporis bona valetudine gaudentem, quam maxime alienum ut haberet ab immunditie, ac balneis c. sapone domestico viridi lavaret, praecepimus. Scabies evanuit. Vix autem nonnullae hebdomades praeterlapsae erant, quum mater redibat, nunc de febri, qua mensibus fere quatuor ante infans turbatus esset, conquesta. Nunc etiam nauseam, ructus vomituritionesque addita esse deploravit. Lingua inspecta, aliaeque conditiones, quae ad sordes gastricas pertinebant, primam nobis indicationem, cui emetico satisfacere arbitrati sumus, prodidit.

Quem ad finem haec formula praescripta est:

Rcp. Tart. stibiat. gr. jj
Ō Rad. ipecacuanh. ℈ß
S. i
Aq. chamomill. ℥jj
adde
Oxymell. squillitic. ℥ß

MDS. Denis minutis cochlear minus sumatur donec vomitum efficiat.

Die insequenti febrifuga ipsa nihilo contraindicata erant, atque precibus meis commotus, illustr. Truestedt permisit, me liquorem antipyreticum adhibere. Hac forma usus sum:

Rcp. Solution. antifebril. Fowleri
Aquae destillatae ⁀aa ℥j

MDS. Omni bihorio gtt. VIII in dec. avenae sumendae.

Quae guttae iterum iterumque repetitae febrem intermittentem fugarunt, neque ullum malum reliquerunt. Aegrotus in dies se refecit atque ad hoc temporis momentum optima gaudet valetudine.

VITA.

Ego Isidorus Jacobi anno 1820 die XX mensis Januarii Brombergae natus sum patre optimo Imanuele Jacobi, matre carissima Paulina e gente Berg, quam mihi iam praematura morte esse ereptam valde lugeo. Amissam vero matrem, noverca dilecta atque magni aestimata, Minna e gente Cohn, intimo mihi amore coniuncta, ut pro viribus restitueret, operam dedit. Cuius beneficii causa donec inter vivos restem, gratissimam ei mentem servabo. Veteri fidei addictus sum. Primis literarum elementis in schola elementaria, quae tum sub clarissimo et doctissimo viro, Loewenberg florebat, imbutus, gymnasium urbis patriae, cui tum director Mueller praeerat, a. 1834 adii et quatuor per annos frequentavi; dein in gymnasium Culmense me contuli, quod tum sub dir. Richter, sapientissimi viri ac summe venerandi, auspiciis efflorescebat. Anno XLI h. s. maturitatis testimonio instructus, almam literarum universitatem Viadrinam petii, et ab illustr. Elvenich, tum fasces academicos tenente, inter cives academicos, ab Ill. Barkow, t. t. spectatissimo decano, inter medicinae studiosos receptus, per biennium et annum dimidium hisce interfui lectionibus:

Ill. Barkow de osteologia, syndesmologia, anatomia corporis humani, sicut de cadaveribus rite dissecandis; Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis et instrumentis chirurgicis applicandis, qui idem in clinico chirurgico et ophthalmiatrico dux mihi fuit per annum dimidium; Ill. Betschler de arte obstetricia, tam theoretica quam practica, atque de gynaecologia; Ill. Braniss de psychologia; Cel. Burchard de morbis infantum; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice generali ac speciali; Ill. Fischer de chemia generali ac pharmaceutica; Ill. Glocker de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Henschel de medicinae encyclopaedia; Ill. Klose de materia medica, de therapia generali; Cel. Neumann de pa-

thologia generali, de therapia speciali et de typho; Ill. n. beat. Otto de anatomia comparata, qui quoque cadavera rite dissecare ipse me in theatro anatomico docuit; porro de historia foetus et de sectionibus forensibus; Ill. Pohl de physice, de phaenomenis electro-magneticis, de lucis et caloris theoria; Ill. Purkinje de physiologia hominis; Cel. Remer de morbis syphiliticis; Cel. Seidel de formulis medicis concinnandis; Ill. n. b. Wendt de materia medica, de morbis psychicis et chronicis; Ill. Thilo de logice.

Duobus annis et dimidio praeterlapsis, vere anni XLIV Berolinum profectus a t. t. rectore magnifico Ill. Lachmann civibus academicis adscriptus et a facultatis medicae decano maxime spectabili Ill. Busch in huius ordinis album relatus sum. Qua in universitate hasce frequentavi scholas:

Ill. Hecker de historia medicinae; Ill. Mueller de anatomia pathologica.

In clinicis duces mihi fuerunt maxime venerandi et benevolentissimi VV. Illustrissimi Barez, Dieffenbach, Juengken, Truestedt, Wagner, Wolff.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam possum maximas semperque habebo.

Tentaminibus, et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratiosa facultate medica superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. In hydrocephalo chronico paracentesis prorsus rejicienda non est.
2. Post amputationem prima intentio semper est experienda.
3. Hypochondria et hysteria morbus idem.
4. Arsenicum summum bonum in febrem intermittentem commendandum est.
5. Auscultatio ad diagnosin certam statuendam morborum pectoralium absolute necessaria est.
6. Contagium syphiliticum et gonorrhoicum non unum est idemque.
7. Praestantissima operandi methodus hydroceles tunicae vaginalis propriae testis incisio habenda est.

76(1)